

B. N. II, 149.

(X1877965)

II R
2334

h. 39, 1.

EXERCITATIO
DE

GERMANICI IMP-
PERII CIVIBVS

Q V A M

Ex discursibus præcipue

*Viri Clarissimi, Excellentissimi atque Expe-
rientissimi*

DN. HERMANNI CONRINGII
PHILOSOPH. AC MED. D. HVIVSQUE

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA PROF. PVB.

Fautoris, Præceptoris ac Hospitis sui nullo

non tempore colendi desum-
ptam,

eodem Præside

Publice examinandam proponit

CHRISTOPHORVS GVILIELMVS

Blume V Volferbytanus.

Ad diem XXVII. Martij

IN NOVO IVLEO MAIORI

HELMÆSTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

Anno MDCCXXI.

5.



GERMANICUM
PUBLI CIVIBVS





THESIS I.

DE civibus & statibus imperij paucula quædam tradituris, præmittenda nonnulla erunt, quorum auxilio, facilius in ipsius rei cognitionem devenire possumus. Nam & dicendum nobis erit, quinam verè civium nomine veniant, & cum non uno eodemq; modo cives dicantur, æquivoca autè simul definiiri nequeât, vox illa imprimis *ab homonymia* erit liberanda.

II. Erudite autem (ut solet) *lib. 3. Pol. cap. 1. de huius vocis ambiguitate* differit Aristoteles, quæ quidem tam late se extendit ut pro variarum rerump. formis specie etiam cives differant. Et vero si resp. priores & posteriores specie differunt, cives quoque in ijs rebusp. eodem modo differre necessum fuerit.

III. Ut verò æquivocatio hæc dilucide ostendatur, omnibusque ob oculos ponatur advertendum est. Primò, nonnunquam eos dici cives, qui tantum patre & matre civibus nati sunt, quamvis nonnulli, non contenti parentibus, etiam de avo & tritavo inquirendum statuunt an fuerint cives. Sed hæc quidem significandi ratio admodum est incerta, cum in infinitum ita quæri possit; donec pervenias ad eum qui patrem civem non habuit. Et hanc ob causam Gorgias Leontinus, sive joco, ut solebat multa, sive quod aliter se expedire non posset, cives fieri à civibus aiebat. Sicut enim mortaria fierent ab ijs, qui hanc callerent artem, ita esse opifices Larissæ, à quibus Larissæi cives fierent. Sed quam improvide hoc sit dictum quilibet facile animadvertit, Nam si ij tantum sunt cives, qui nascuntur è civibus, quomodo appellabuntur ij qui vel condiderunt vel fundarunt civitatem? Impropriè verò etiam ij cives dicuntur,

qui respectu saltem aliquo hoc sortiuntur nomen: quales sunt civitate donati, qui non re ipsa sed honorarij tantum sunt cives: Dicuntur porro etiam cives pueri, & qui nondum perfectæ sunt ætatis, itemque decrepiti, qui ob venerandam senectutem, immunitatem ac vacationem à muneribus impetrarunt, & puerili ætati rursus sunt proximi. Hi vero quamvis cives appellari possint, non tamen simpliciter hoc est asserendum, sed ita ut illi imperfecte & potentiâ tantum cives esse dicantur, hi verò jam effecti & ideò hoc nomine gaudeant, quod olim verorum civium numero accensiti fuerint.

IV. Cum autem hæc civis appellationes longe sint alienæ à nostro proposito, supervacaneum prorsus esse censemus, in hisce diu morari: proinde breviter tantum insignem hujus vocabuli æquivocationem notasse sufficiat. Nunc ut rem ipsam definiamus, & quibus verè civium nomen competat accurate explicemus ratio postulat.

V. Civis autem secundum Aristotelem (quem in omnibus sequendum merito statuimus) est, *cui in illa civitate cuius est civis, potestas est fungendi magistratu vel deliberativo vel judiciali.* Quam quidem definitionem omnibus qui verè cives appellantur, applicari optimè posse confido. Etiam si enim objicere quis posset multos esse cives quibus ista non conveniat, (sicut in tyrannide aut oligarchia multi sunt cives, qui nullo loco sunt, nulla dignitate aut munere funguntur) ei regerimus, æquivocam hanc civis appellationem esse, ut paulo ante uberius explicavimus. Maxime propriè verò & in illis corruptis adeoq; falsò dictis rebus publicis nomine hoc esse dignos, quibus illum magistratum capessendi facultas est: valde improprie verò qui hæc dignitate excluduntur.

VI. Hisce præmissis obscurum nemini esse potest, qui-
nam

nam hodie in nostro Imperio veri & genuini proprijque sint
cives, ij videlicet qui potestatem habent judicandi de ijs,
quæ ad τὸ κῆρυξ vel summam reipublicæ (versatur autem, ea
circa pacem & bellum, circa leges publicas rogandas vel
derogandas, circa foedera cum peregrinis, circa vitam
mortem & exilium civium, denique circa bona civium
aut confiscanda aut verò in commune distribuenda) per-
tinent. Hinc etiam non potest non patere, recte illos cives
Status & Ordines imperij appellari, quod nempe sint totius
regni columnæ, vel quod legitimam in comitijs habeant
standi personam.

VII. Neq; verò mirum sit hos solos veros cives reli-
quos autem incolas potius esse vel subditos. Omnis enim
civis utique socius est civilis societatis: est autem veri socij
suffragium ferre & sententiam de rebus ad societatem per-
tinentibus. Apertam sane implicat contradictionem, esse
alicujus societatis verum socium, nec tamen jus suffragij
in eâ societate obtinere.

VIII. Scilicet hoc suffragiorum jus usq; adeò est pro-
prium civium verorum, verorumq; Ordinum ac Statuum
alicujus civitatis ut essentiam eorum unice constituat. A-
deoq; qui caret illâ facultate sive per injuriã sive jure, non
est actu civis: qui fruitur illâ, sive jure sive injuriã, reapse est
in Statuum sive Ordinum seu civium censu. Neq; enim re-
fert nunc jure hoc aut illud fiat an injuria. Sic qui nondum
gaudet illo jure, etsi gaudere debeat aut possit, recte lo-
quendo non est actu civis sed potentia tantum.

IX. Quoniam hoc ergo vere constituit civem, facile
apparet per accidens tantum fieri, ut talis aliquis matricu-
læ aut albo ordinum sit insertus, sive collectiones Imperij
in publicum ærarium pro rata proximè solvat, Quæ duo
tamen nonnulli perperam inter certissimas civium atq; Or-

dinum notas recensent. Quod enim insertionem in album attinet, certum est in multis rebus publicis nullum esse album; quemadmodum nec ulla etiam matriculae memoria exstat in repub. nostra, ante illam quam Sigismundus Imp. anno 1431. fecit conscribi, quod recte proditum est à Goldasto *lib. 2. de Regno Bohem. c. 17.* Itaque nec ante illud tempus ulli fuissent Imperij Ordines, quo nihil est dictu absurdus. Eodem modo etiam saepe in civitatum ac rerum publicarum ærarium conferunt illi, qui meri subditi sunt, & parere dominis coguntur. Ita sanè olim Polonia devicta aliquot auri libras quotannis Germanico Imperio solvit, nec tamen in conventu nostrorum procerum sententiam dicendi habuit facultatem: contra Bohemix Rex onera Imperii non fert in electione tamen summi magistratus Cæsarij quasi civem agit.

X. Fatemur tamen ut nunc sunt Imperij mores, ferè solos illos, qui contribuunt immediate in publicum ærarium, & albo sunt inscripti, suffragandi in comitiis jus habere. Sanè ex quo placuit omnes Ordines in albū referre, deberet utiq; nunc illud album certam nobis notam veri civis exhibere. Quoniam etiam constitutum jam est, ut soli Ordines proxime solvant debitum suum ærario, deberet utiq; & illa collectio significare veros Ordines. At infra probabitur, turbatis Imperij rebus esse factum, ut de quibusdam jurene inferi debeant annon, item solverene sua debeant publico nec ne, hodieque incertum sit. Et verò permultis licet historijs docere, haut paucos interdum errore quodam in publicum ærarium sua contulisse, quibus neutiquam in comitiis publicis standi potestas fuit.

XI. Sed de hisce infra latius: Id vero ex his quæ diximus jam est manifestum; ne quidem etsi quis sive Princeps sive Comes Imperii dicatur, modò non habeat jus hoc comitio.

miriorum, in Ordinum aut civium Imperij censu merito esse numerandum. Anterioribus quidem seculis obtinuisse haud negamus, ut nemo Princeps vel Comes Imperij vocaretur nisi qui idem hanc suffragandi potestate valeret, eum nempe illis nominibus adhuc officia publica designarentur. Nunc tamen longe alijs vivitur moribus: titulis nempe illis solis in multos collatis sine ullo suffragiorum jure.

XII. Ita constat, in annum usque trigessimum sextum à solo Ferdinando II Augustæ memoriæ Casare creatos Principes viginti duos, Comites plusquam sexaginta, Barones ultra centum viginti: formulæ tamen diplomatum vulgares, quas exhibet libellus cui titulus: *Status particularis regiminis Ferdinandi II.* non perhibent illos in Ordinum Imperii censum esse relatos. Verba Formulæ quæ in Ducibus creandis sunt observata ita sese habent: *Iuxta hæc itaq; per Imperium perq; nostras hereditarias ditiones serio ac stricte mandamus, & volumus ut saepe iam nominatus dilectus noster Dux N. & omnes illius in regimine dicti ducatus N. tam ex lineâ descendente, quam post hanc extinctam alii successores, vigore dispositionis huius pro eis instituta, uti supra exprimitur, de hinc perpetuo non minus quàm alii in sacro Romano Imperio reliquisq; nostris hereditariis regnis ac ditionibus Duces pro Ducibus N. reliqui autem legitimi heredes liberi & eorum heredis heredes, mares & feminae, descendens lineæ, qui jam nati sunt, nascenturve, primogeniti tamen non sunt, & post extinctam modo lineam fratres Ducis N: qui, secundum commemoratæ dispositionis tenorem, in Ducatu N. successisset, licet Ducatum N. neq; regant neq; possideant, perpetuo impostorum pro nostris & Imperii Principibus & Principissis in quibusvis honorificis conventibus, equestribus ludis, superioribus & inferioribus diocesibus ac præfecturis, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, & alias ubiq; colantur, admittantur, habeantur & agno-*

& agnoscantur: ipsis quin etiam dicto sensu respective Ducum
Principumve titulus ac nomen tribuatur, quo tales nuncupentur
atq; scribantur. honos eorum autem, dignitasq; præminentia, pri-
vilegia, jura, jurisdictiones, quibus, ut ceteri sacri Romani impe-
rii, nostrorumq; regnorum & terrarum Duces, Principes & Prin-
cipisse, de jure & consuetudine gaudent, utuntur ac fruuntur, in-
corrupta ac in omnibus salva conserventur, &c. Ad eundem fe-
re modum se habent verba formulæ per quam titulus Prin-
cipis confertur. Ita enim sonant: Idcirco post clementissimam
recognitionem generis prælustri & per vetusti Comitum ab N. & eo-
rum nec non huius ipsius, laudabiliter acquisitarum virtutum, &
Nobis totiq; Romano Imperio exhibitorum fidelissimorum obsequi-
orum, Nos probe deliberato animo, vero & maturo consilio, rectâ
notitiâ, nominatum jam comitem ab N. singulari hac gratiâ ex
proprio motu affectisse, eum non solum quidem, sed post obitum, etiâ
maximum natu filium eius, atq; sic porro semper natu maximum, in
descendente linea legitime procreatum, Comitem ab N. in statum
honorem & dignitatem nostrorum ac sacri Imperii Comitum, Prin-
cipum noviter clementer eo evexisse & collocavisse, & collegio ac
societati aliorum nostrorum & sacri Imperii Comitum Principum
coniunxisse, sociavisse & equiparavisse; & ut titulus ac nomen
Comitum Principum, ac in specie prædicatum Celsissimorum, unâ
cum reliquo titulo & dignitate nostrorum ac Imperii Principum,
ipsis daretur, & ab ipsis gereretur, seq; DE I gratia tales scriberent
& nominarent, clementer concessisse & indulgisse. Et ex Romana
Cæsareâ Maiestatis potestate & perfectione, scienter & vigore ha-
rum, ordinare & constituere, ut supra dictus Comes ab N. eoq; de-
functo filius eius natu maximus ac porro quotuscunq; ex istâ lineâ
descendente maximus natu, Comes ab N. legitime natus, uti intel-
lectum, in statum, honorem & dignitatem nostrorum & sacri Im-
perii Comitum, Principum, modo commemoratâ ratione refera-
tur, collocetur, iis equiparetur, & eorum collegio & societati asso-
cietur:

cæetur: Simulq; illis impertisse & attribuisse, præter jam acquisi-
tos honores & titulos, nomen ac titulum, nostrorum ac sacri impe-
rii Comitum, Principum ab N. & in specie prædicatum Celsissimo-
rum, juxta titulum statumq; nostrorum & Imperii Principum:
adeò etiam ut se DEI gratia tales scribere debeant & possint: Et
consequenter, statuere, decernere ac velle, ut sæpe dictus Comes
ab N. & post eum relictus filius ejus natu maximus deinceps omnes
ipsius heredum heredes, uti constitutum, continuo & semper no-
stri & Sacri Imperii Comites Principes esse, eo sese commemorato
prædicato, titulis ac dignitatibus, supra & juxta pristinos beneq;
& cum laude acquisitos titulos, nominare & scribere, à Nobis &
nostris in Imperio successoribus, aliisq; omnibus ac singulis tales ha-
beri, agnoscì, coli, vocari ac inscribi, univèrsa quin etiam beneficia,
privilegia, honores, dignitates, prærogativas, præeminèntias, e-
molumenta, jura, & jurisdictiones, unà cum beneficiis in superio-
ribus inferioribusq; diacesibus ecclesiasticis ac secularibus, feudis
& præfecturis, in conventibus & equestribus ludis, suscipere,
obire, aliq; omnia obtinere, & participare, his deniq; cunctis præ-
cipue verò Principali Principum, Comitum titulo ac nomine, in
sessionibus, in votis, in processionibus, ubiq; locorum & apud omnes,
summo cum honore, prout par erit, eorumq; necessitas voluntas ac
beneplacitum feret, gaudere, uti frui, debeant ac possint: Eo plane
modo quo alij nostri & sacri Imperii legitimi Principes Comites de
jure & consuetudine talibus gaudent, utuntur ac fruuntur, nemi-
ne prohibente: &c. Pariratione Comitum quoque con-
fertur titulus ac honor: Nos ei sequentem singularem gratiam
& privilegium, bene deliberato animo, sano consilio, rectaq; no-
ritià, in optimà valentissimà & firmissimà formà & modo contu-
lisse atq; concessisse; & in præsens eandem illi Romana Cæsareà
autoritate, absoluto jure scienter & harum vigore, conferre &
concedere; nimirum ut deinceps à Nobis, nostrisq; in sacro impe-
rio successoribus, Romanorum Imperatoribus, Regibusq; sæpe no-

B

mina-

*minatus Comes ab & in N. ipsius legitimi heredes liberi, eorumq;
heredis heredes in descendente linea, ex omnibus nostris & suc-
cessorum nostrorum in sacro Imperio, domoq; Archiducali Austria
archivis, in nostris & illorum loquendi formalis, scripturis, tabu-
lis & epistolis, aliisq; libellis, qui à Nobis & successoribus nostris,
seu ad eos seu aliâ ratione mittentur, in quibus mentio illorum fiet,
titulo, predicato, & axiomate Generosissimi afficiantur & scri-
bantur; &c.*

XIII. Cæterum quid proprie constituat civem reip. ex-
allatis est manifestum: consequens est dispiciamus quinam
ad eum censum pertineant. Atque excusantibus quidem
rerum patriarum antiqua monumenta, liquidum statim
fit, non adeò certò semper eorum numerum initum fuisse.
Neq; enim aliâ de causâ tam serò cœpit album quoddam
publicum, aut matricula Imperij Ordinum, quam appel-
lant, constitui. Cessit autem hæc negligentia dubio procul,
haud levi damno reipublicæ. Etenim pro vario numero
eorum qui ad comitia vocantur, reipubl. quoque diversæ
species oriuntur. Mutatur scilicet sensim in oligarchiam
democratia, si pauciores paulatim comitia frequentent,
reliquis domi remanentibus: contra oligarchia in demo-
cratiam degenerat, si magis magisq; plures ad publica con-
silia conveniant. Quo circa & prudentiores legibus positis,
aut arcanis artibus, sive servandus sit præsens status sive mu-
tandus, vel minuunt, vel augent, vel verò servant ac tuen-
tur diligentissime civium verorum numerum.

XIV. Verùm quo liqueat etiam apud Germanos aliam
atq; aliam cæpisse reipubl. formam, non observato semper
eodem verorum civium censu; haud abs re fuerit fortassis
ab antiquissimâ usque memoriâ repetere quinam jus con-
ciliorum publicorum habuerint. Vbi initio monendum
Germaniam olim non in unam remp. aut civitatem coa-
luisse,

luisse, sed ferè quot populos totidem diversas civitates ex-
titisse. Primi sanè Franci, auspicijs & rarâ felicitate Caroli
Magni, omnia quæ Balthico mari, Oceano, Alpibus & Car-
patho monte ac Vistula fluvio sunt cineta suo per Galliam
omnem extenso imperio conjunxerunt.

XV. Antiquissimis verò temporibus quid consueve-
rit ac fuerit receptum ex Tacito apparet. Prodit enim duo
tum fuisse in usu conciliorum genera, alterum *majus* de
majoribus rebus: alterum *minus* de minoribus, & huic qui-
dem solos Principes interfuisse, illi autem totum Populum.
Sunt autem Tacito Principes, qui in singulis civitatibus
jus per pagos & vicos dixerunt, *pagorum* vocabulo veniente id
ferè quod nunc ein *Ampt/vicorum* verò quod nunc ein *Stes-
cken*/aut ein *Dorff*/appellamus. Quos *principes* olim præ-
cipuæ fuisse nobilitatis haud obscure ex eodem est Tacito
colligere, De majoribus verò comitijs videntur omnino
accipienda illa ejusdem Taciti: *ut turba placuit confident ar-
mati. Mox Rex vel Princeps audiuntur, autoritate suadendi magis
quàm jubendi potestate. Si displicuit sententia fremitu adspernan-
tur.* Nimirum *turba* voce populus notatur, cui Rex vel
Principum aliquis sententiam suam de negotio jam tum
apud suos prætractato proposuit.

XVI. Ex his verò Taciti verbis colligere est duplicem
tum in civitatibus Germanici statuum aut civium fuisse
conditionem aliam nimirum primæ, aliam secundæ auto-
ritatis ac dignitatis. Primi generis fuerunt qui post *Adelin-
gi* & ab officio *Grafen* vel *Richter* aut *Hauptlinge* sunt dicti:
nobili omnes stirpe nati. Ad alterum autem ordinem plebs
omnis pertinuit. Non tamen eo in honore servi tum fue-
runt sed ne ipsi quidem liberti. Disertè enim de Germa-
nis idem Tacitus: *Liberti non multum supra servos sunt, rarò
aliquod momentum id dant, numquam in civitate, exceptis dun-*

taxat iis gentibus quæ regnantur. Illic enim super ingenuos & super nobi es adscendunt: apud cæteros impares liberiini libertatis argumentum sunt. Ast regna tum Germanis populis rarissima fuerunt: liberti vero valuerunt, procul dubio, ministerio potius regio quàm suffragiorum potestate. Principes autem ex nobilitate fuisse, haud difficulter patet. Præterquam enim quod perpetuo principes opponantur plebi, disertè ita scribit: Tacitus *Eliguntur in iisdem conciliis & principes qui jura per pagos vicosq; reddunt: centeni singulis ex plebe comites, consilium simul & auctoritas adsunt.* Si autem comites ex plebe, utiq; principes nobiliore fuerunt stirpe orti. Non multo post idem ait: *Insignis nobilitas aut magna patrum merita Principis dignationem etiam adolescentibus assignat.* Et vero recepti olim in omnibus Germanicis populis moris fuit, non tribuere hanc juris dicendi potestatem nisi maximâ nobilitatis ratione habita.

XVII. Loquitur autem de illis cum majoribus tum minoribus comitijs in hæc verba idem Tacitus. *De minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes: ita tamen ut ea quoq; quorum penes plebem arbitrium est apud Principes pertractentur.* Vbi tamen cum Hugone Grotio, summo sanè viro, legendum forte pertractentur. Nempe ut penes Principes illos de maximis rebus fuerit *αρχαία*, at de minoribus integrum arbitrium. Et verò constare id ipsum videtur etiam ex usu rerum Germanicarum sequentibus seculis sueto: tum quod in comitijs majoribus illis soli plebi sit proposita non tam res aliqua tum primum deliberanda, quàm concepta jam sententia.

XIIX, Ergo omnes etiam ex plebe ingenui civium tunc auctoritate polluerunt: primario licet loco fuerint *Adelingi* aut *Principes*: utpote cum sine ingenuorum omnium consensu nihil magnæ rei constitui potuerit. Constat verò
idem

idem & ex judicandi potestate, quâ valuerunt plebeij. Neque enim judicia tum fuerunt penes solos nobiles, etsi hi illis præfuerint potissimum; sed ex parte & penes inferiorem illum ordinem. Iam enim ante audivimus, centenos singulis Principibus *ex plebe* comites fuisse, adjunctos consilij & auctoritatis nomine. Qui forte sunt, quos Tacitus *lib. 5. Histor.* de Treveris loquens, ut & Cæsar *lib. 4. de Vbijs*, *Senatores* appellant. At qui veri cives consulendi judicandique potestate definiuntur.

XIX, Nimirum alio plane loco apud Germanos antiquitus plebs fuit quàm apud Gallos, de Gallis enim Cæsar *lib. 6. de bello Gallico*: *Plebs pene servorum habetur loco, quæ per se nihil audet & nulli adhibetur consilio.* de Germanis autem idem: *Vbi quis ex principibus in concilio se dixit ducem fore, qui sequi velint, profiteantur: consurgunt ij qui & causam & hominem probant suumq; auxilium pollicentur, atq; à multitudine collaudantur.* Eburonum, gentis Germanicæ Cisrhenanæ, Rex Ambiorix apud eundem Cæsarem *l. 5.* ita loquitur: *Sua esse imperia ejusmodi ut non minus haberet in se juris multitudo quàm ipse in multitudinem.* Hinc Tacitus *lib. 4. Histor.* scribit, Civilem Batavum rebellionem dum moliretur, non tantum primores gentis Batavorum sed & promptissimos vulgi convocasse.

XX. Quanquam verò populi nonnulli Germanici sub Regibus vixerint, quidam sine Regibus, etiam apud illos tamen eadem fuit civium natura. Neque enim Regibus fuere plena majestatis jura quæ vocantur; sed omnis eorū potestas fuit haud alia quam olim Regum Lacedæmoniorum. Disertè Tacitus: *Regibus non infinita aut libera potestas.* Item ubi de comitijs integri populi disseruisset, *Reges*, ait, *auditos ibi esse, auctoritate suadendi magis quàm jubendi potestate.* De Frisijs cum dixisset *lib. 14. Annal.* eos à Verrito & Malorige regi adjecit: *in quantum Germani regnantur.* De Gotho-

nibus idem lib. de morib. Germanor: Trans Lygios Gothones regnantur, paulo jam addictius quam cetera Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. De solis autem Sueonibus idem sic loquitur: *Vnus imperitat nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi.* Quo ostendit eos à Germanico ingenio multum abesse. Si autem libertas populi etiam sub Regibus olim salva fuit; non potuit non & jus comitorum, cum nobilibus tum plebi, fuisse integrum.

XXI. Mansisse verò hanc formam civium etiam aliquot post seculis, argumentum est, quod in universum Germanicorum populorum libertas deprædicetur. Opponitur autem libertas dominatui. Vbi autem libertas viget populi non potest ille excludi à consilijs rerum majoris momenti.

XXII. Cæterum illa libertas in plerisque populis videtur post extincta à Francis. Hi enim devictis à sese plerisque Germaniæ populis, durissimam videntur servitutem imposuisse. Certe hanc fortunam subierunt Alemanni potentissimus ante populus, post victoriam Clodovæi anno Christi 499 partam. Quâ de re Æmilius florentissimus Gallicarum rerum scriptor: *Cadit Alemannorum Rex; Alemannia fracta ingens tributum pendere jussa, leges etiam graves, magistratusq; ab irato victore accepit.* Ioachimus Vadianus, vir Germanicarum, in primis Alemannicarum, antiquitatum peritissimus, epistolâ quâdam quam recitat Goldastus tomo 2. Antiquitatum Alemannicar. f. 84. ita loquitur: *Plena fuit servis & servitutibus Alemannia nostra, cujus magna pars hodie Helvetia est. Nec est quod sciam mortuus pagus aliquis Helveticus, qui, rebus Francorum florentibus, durissimam illam servitutem non servierit.* Exstant enim tabulae veteres quæ hanc rem clarissime testantur. Pervenerunt autem in miseram istam servitutem illâ Clodovei victoriâ non Alemanni tantum, sede

Id & Bajoarij, quemadmodum ex Gregorio Turonensi, Sigeberto, alijsque antiquis Francicarum rerum scriptoribus est manifestum. Summâ rei verò totius Alemannici & Bajoarici populi ad Francos delatâ, non illi liberi cives regni Francici sunt facti sed potius subditi. Qui enim illis sunt præfecti magistratum loco, Francicæ pleriq; profapia videntur fuisse non Alemannicæ aut Bajoaricæ.

XXIII. Post Alemannos circa annum 524 devicti Thuringi, non quidem in eandem videntur servitutem redacti, jus civitatis tamen sub Francis retinuisse aut in civitatem Francorum transisse non videntur. Namque & ipsi tributum pendere sunt jussi, magistratus quoq; & leges ex victoris populi arbitrio acceperunt. Neq; enim in societatem assumpti, sed imperio subiecti sunt.

XXIV. Eadem fortuna Frisiorum fuit. Qui populus oram maritimam à Rheno usque ad Visurgim insedit. Namque & illa regio omnis à Carolo Martello & post Pipino in provinciam redacta est: populo, ut nonnulli perperam volunt, in servitutem compulsio. Etsi verò libertatem illis reddiderit Carolus Magnus, præclare in Italiâ gestis eorum rebus motus, in civitatem tamen Francorum eos assumptos non liquet.

XXV. Meliori eventu Saxones ab iisdem Francis sunt victi. Illi verò eâ tempestate V Vestphaliam omnem & Angrivariam, quicquid item est terrarum Salam inter Melibocum montem, Visurgim, Oceanum & Albim, imo & trans Albim quod ad Eidoram usq; amnem oræ est maritimæ, tenuerunt. Quanquam enim & hi initio jussi impendere tributum, & communem devictarum gentium fortunam subierint, exitus tamen belli felicior fuit. Notatu eâ de re digna sunt verba Eginharti l. de vita Caroli Magni: *Ea conditione à Rege propositâ & ab illis subscriptâ, tractum per*

tot annos bellum constat esse finitum: ut abjecto Dæmoniorum cultu & relictis patriis ceremoniis, Christiana fidei atq; religionis sacramenta perciperent, utque FRANCIS ADVNATI VNVS CVM EIS POPVLVS efficerentur. Paulo plenius contractum hunc describit poëta ille anonymus & annalium Caroli Magni autor, quem primus edidit Reinerus Reineccius ad annum 803. Testatur enim ille initum fuisse pactum cum Nobilitate Saxonum. Quo nomine intelliguntur soli illi qui juris dicundi potestate valentes vulgo Grafen aut Fürsten appellati sunt. Contractum autem scribitur in alia tum in hæc:

*At verò censum Francorum regibus ullum
Solvere nec penitus deberent, atq; tributum
Cunctorum pariter statuit sententia concors.*

*Tum sub iudicibus quos rex imponeret ipsis
Legatisq; suis, permitti legibus uti
Saxones patriis, & libertatis honore:
Hoc sunt postremo sociati fœdere Francis,
Vi gens & populus fieret concorditer unus
Ac semper Regi parens æqualiter uni.*

XXVI. Ex his autem videtur, solam illam Nobilitatem Francicæ tunc civitatis jus accepisse, non autem plebem reliquumq; populum Saxonicum: quippe cum quibus solis est contractum. Non quasi non & alijs sua manserit libertas reliqua, sed tantum quod non omnis populus in curam communis reip. concesserit. Neq; vero probabile mihi fit, quod Reineccius ad hunc locum notat; etiam ante hanc mutationem plebem à reip. negotijs fuisse remotam. Quod tamen disputare non est hujus loci. Id verò etiam atq; etiã est notandum: ex hoc pacto magistratum omnium constitutionem Carolo cessione, omnemq; Saxoniam gubernandam partim per ordinarios magistratus, partim per missos aut legatos hoc est extraordinarium magistratum,

crum-

utrumque tamen à Cæsare dependentem. Quomodo scilicet & aliæ provinciæ tum gubernabantur.

XXVII. Iuncti igitur Francis Saxones, at non ut penitus subditi, sed ut unius reip. cives. Quod ipsum & VVitekindus Corbeiensis l. 2. innuere voluit his verbis: *Qui olim socij & amici erant Francorum, jam FRATRES & quasi VNA GENS ex Christianâ fide, veluti modo, facta est.* Nec verò aliâ de causâ Carolus Saxonix Dominum se dixit & Francorû Regem; non autem aliorum populorum, quos plurimos continuit imperio suo, nisi solorum in Italiâ Longobardorum nomē titulo suo adjunxit. Nempe quod hi populi soli libertate fruente non in Francorum ditionem penitus concessissent. Is autem Caroli titulus legitur in ijs literis quibus episcopatum Osnabrugensem condidit: *Carulus Imperator Augustus, Romanum gubernans Imperium, Dominus & Rex Francorum & Longobardorum, nec non Dominator Saxonum.*

XXIIX. Præter autem laudatas ante nationes nihil in Germania cis Rhenum quidē fuit Germanicæ originis; reliquum omne Venedis aut Sclavis occupantibus. Hi verò nec paruerunt integrè Francis, nec in societatem reip. accepti sunt, sed tributum solummodo penderunt. Potest hoc plurimis doceri, at suffecerit unum Eginharti rerum harum omnium peritissimi testimonium adduxisse: *omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Vistulam fluvios, Oceanumq; & Danubium posita, linguâ pene similes, moribus autem atq; habitu valde dissimiles Germaniam incolunt, ita perdomuit ut tributarias eas fecerit. Inter quas ferè præcipue sunt VVelatabi, Sorabi, Abotriti, Boëmanni. cum iis namq; conflixit, ceteras verò quarum longe major est numerus in ditionem accepit.* Incoluerunt autem Sorabi ea quæ inter Salam sunt & Albim, VVelatabi & Abotriti Meclenburgicam hodie dictam terram tenuerunt.

XXIX. Cæterum omnibus hisce ita sese habentibus apertum fit, eo tempore quo Franci rerum per Germaniam omnem sunt potiti, nullum populum Germanicum libertate fuisse usum, aut civitatis jus habuisse præter solos Francos, & quibus hoc relictum fuit, Saxones. Constat tamen in omnibus alijs quoque populis, primores ad conventus publicos esse accitos, qui fortè fuerunt Franci & alijs illis præfecti. Hac sane de causâ præsertim verò quod & illi Francicæ originis essent, & vel pagis vel regionibus devictis olim præpositi, dicitur quidem passim populus Francorum convenisse, alius autem præter hunc nullus: ex omnibus tamen provincijs dicitur in unum coisse.

XXX. Ut autem res omnis eò clarius pateat, operæ pretium fortè fuerit apertè ostendere quinam ergo jus comitiorum Francorum olim habuerint. Quod idem est atque exponere, quinam olim potentibus rerum Franciscives veri fuerint Germanici. Id ipsum autem si non aliunde, optimè fortassis potest perspici ex ijs quæ ex Adelhardi propinqui Caroli Magni & consiliarij, mox Abbatis Corbejæ utriusq; Gallicæ & Germanicæ, libello *de ordine palatii* recitat Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, nobili & ipse Francorum ortus profapia, inq; aulicis regni negotijs ætate Ludovici Pij ejusq; filiorum versatissimus, epistola ad Episcopos Franciæ per scripta 3. c. 29. *Consuetudo* (verba ejus sunt) *tunc temporis trita erat, ut non sæpius sed bis in anno placita duo tenerentur. Vnum quando ordinabatur status totius regni ad anni vertentis spacium: quod ordinatum, nullus eventus rerum nisi summa necessitas, quæ similiter toti regno incumberebat, mutabat. In quo placito generalitas universorum Majorum, tam Clericorum quam Laicorum conveniebat. Seniores propter consilium ordinandum. Minores propter idem consilium suscipiendum & interdum pariter tractandum, & non ex potestate, sed ex proprio*
mentis

mentis intellectu vel sententiâ confirmandum. cap. 30. Caterum autem propter dona generaliter danda aliud placitum à Senioribus tantum & præcipuis consiliaris habebatur, in quo jam futuri anni status tractari incipiebatur. &c.

XXXI. Hæc verba modò rectè intelligantur, omnem rem quam inquirimus nobis demonstrant. Duo scilicet apud Francos fuere conciliorum genera: alterum commune totius populi: alterum particulare, de rebus quidem minoribus semper, interdum tamen & majoribus, sed non nisi *μεγαλίας ἐνοχας*, quorundam ex Principum aut primorum ordine delectorum. Vtrumq; quotannis celebratum. Et Majore quidem illo negotia regni constituta sunt in integrum annum. Minore res maximæ in futuro generali conventu constituendæ, sunt prætractatæ. Quem morè omnibus Germanicis populis olim fuisse usitatum ex Tacito supra probavimus. Tempus porrò comitiorum illorum Majorum statum fuisse circa calendas Maij, probat testimoniū Sigeberti Genblacensis in Chronico ad annum 662: *Francorum* inquit *ille Regibus moris erat Kalendis Maij præsidere coram totâ gente salutare & salutari, obsequia & dona accipere.* Quod totidem pene verbis dicit Cedrenus. Sed hoc fortissis primis obtinuit temporibus: atate certè Caroli Magni adeò religiosè observatum non fuit.

XXXII. Iam verò cum in comitijs illis majoribus fuerint totius regni negotia constituta, & verò illa peracta fuerint totius populi arbitrio ac consilio, liquet utiq; omnem populum Francicum obtinuisse jus civium & comitijs interfuisse. At populi nomine multi veniunt. Namq; & primores seu proceres pars populi sunt, & plebs quoq; ingenua eodem nomine comprehenditur. Videri autem posset ex Hincmaro, solos proceres olim ad comitia convocatos, seclusâ plebe Scribit enim coijisse *generalitatem MAIO-*

VM. Cæterum modo textus laborat: scribendumque generalitas Majorum & Minorum Statim enim post & Minores consilio scribit interfuisse, quos utiq; ergo convenisse necessum est.

XXXIII Illos verò Minores fuisse multitudinem ipsam seu plebem, claret ex ijs quæ habentur *cap. 35.* ejusdem epistolæ, ubi disertè scribitur distinctis locis in comitijs istis Seniores & Multitudinem resedisse. Quanquam verò & multitudo illa convenerit, liquet tamen ex Hincmaro non eam fuisse multitudinis quæ erat Procerum, auctoritatem. Disertè enim scribit *Seniores*, (quo nomine ille appellat Proceres aut Primores regni) convenisse, *propter consilium ordinandum, Minores propter idem consilium suscipiendum.* Nec tamen omne arbitriū rerum fuit multitudini ereptū. Additenim: *& interdum pariter tractandum, & non ex potestate* (h. e. non tam alieno potentiorum jussu) *sed ex proprio mentis intellectu vel sententiâ confirmandum.* Ergò & multitudo interdum tractavit res illas maximas: habuit verò potestatem, ea quæ placuerant primoribus *confirmandi* & quidem *ex proprio consilio*, non ex mandato. Si autem confirmandi liberum jus habuit, habuit jus quoq; rejiciendi quæ displicuerunt, more antiquo sc. adhuc integro. Patet idē ex capitulari Caroli M. *16. c. 217. de capitulis quæ in legem noviter addita sunt. Ut populus interrogetur de capitulis, quæ in legem noviter addita sunt, & postquam omnes consenserunt, subscriptiones & manu confirmationes suas in ipsis capitulis faciant.* Fine legis Alemannicæ hæc habentur: *Hoc decretum est apud Regem & Principes ejus, & apud cunctum populum Christianorum, qui infra regnum Merovingorum consistit.* Vbi populus oppositus Principibus non potest non plebem significare. At ex illius populi decreto Leges illæ Allemannicæ sunt constitutæ. Idem confirmant & constitutionem illæ *l. 5. c. 38.* ubi re-

cense-

cenfetur quæ communi *fidelium* regis confenfu conftituta
funt. Ad *fidelium* enim numerum non potefl non & plebs
pertinere. Iftâ verò loquendi formulâ & ipfe Ludovicus
Pius utitur *l. 1. Capitular. sub. intit. & c. 22. & 24.*

XXXIV. Tanta verò fuit præ plebe Procerum aucto-
ritas, ut libertate fuâ antiquâ, rejiciendi nempe illa quæ
Principibus placuerant, nunquam ufa legatur, five non di-
fplicuit quod illis placuit, five cõtra niti haud fuerint aufi.
Hinc in antiquis monumentis concilia illa populi plerum-
que, haud alio nomine quàm *convectus Procerum* aut *Prin-
cipum* vel *Optimatum* audiunt: omni fcilicet concilij pote-
ftate ferè ad hos solos relatâ. Eodem fpectat procul dubio
Hincmari illud confilium Ludovico Balbo datum *Epift. 1.*
uti rempublicam adminiftraret ex Procerum aut Principum
confenfu; nufquam plebis mentione facta. Vnde & epifto-
lam illam claudens cap. x. fcribit: *De generalibus Ecclefie ac
regni negotiis, fine generali Primorum regni confenfu & confilio
secretum dare confilium nefas: etiam confenfum deliberare non
volo.* Poffet autem idipfum facilè plurimis probari testimo-
nijs fi opus foret: fed rei perfpicuæ fidem conciliare velle,
videtur effe operam ludere.

XXXV. Proceres autem ac Primores ordines quod at-
tinet, notandum eft Hincmarum testari conveniffe *genera-
litate* *Univerforum majorum tam clericorum quàm Laicorum.*
Itaq; primùm omnibus Archiepifcopis, Epifcopisq; in u-
niverfo Francorum Imperio jus fuit fuffragij in comitijs
publicis ferendi. Eodem pertinuerunt & Abbates. Namq;
& illorum cum primis magna fuit auctoritas. Eoq; & Hinc-
marus *Ep. 5. c. 7.* Ludovico Ballo fuadet, ut inter alios pro-
ceres, Hugonem & Gozlinum Abbates minus Regiæ quos
convocet, atque ex eorum etiam confilio negotia regni or-
dinet. Laici deinde Majores omnes veri fuerunt cives. Eo

autem nomine comprehenduntur Duces ac Comites. Atque hi quidem videntur & magistratus appellati ac iudices in antiquis Francorum monumentis. Nam qui plebeios credunt his nominibus significari, illi sanè falluntur. Vt enim alibi probatur, eâ tempestate, magistratum & iudicum officia, sola nobilitas administravit. Quinimò Comitum officium non aliud fuit quàm iudicum. Vt alibi itidem rectius exponetur.

XXXVI. Hos porrò Proceres jam temporibus Francorum antiquissimis, concilio interfuisse, plurimis quidem testimonijs probare in proclivi est: satis autem fortassis est unum alterumq; attulisse. Apud Theganum Chorępiscopum Trevirensē *l. de gestis Ludovici Imp. c. 6.* de Carolo Magno ita legitur: *Imperator cum intellexisset appropinquare sibi diem obitus sui vocavit filium Ludovicum ad se cum omni exercitu. Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus loco positus, habuit grande colloquium cum iis Aquisgrani in Palatio.* Initium legum Alemannicarum ita se habet: *Lex Alemannorum que temporibus Lotharii Regis cum Principibus suis, id est 33. Episcopis 34. Ducibus 72. Comitibus, & reliquo populo constituta est.* Vbi tamen nulla Abbatum fit mentio, quod nempe primâ Francorum ætate nondum id juris essent adepti. Ætate tamen Caroli, Magni eâ dignitate jam potitos fuisse Abbates, ex ijs quæ attulimus certum est. Taceo enim nunc quod Hincmarus *cap. 3. c. 35.* disertè scribat, Episcopis & Abbatibus in concilio populi sua fuisse subsellia.

XXXVII. Cæterum Carolo Magno & Ludovico Pio ejus filio non Germania tantum sed & Gallia omnis atque Italia paruit, itaq; tum quidem temporis ad concilium generale ex omnibus illis locis Ordines sunt vocati. At Germania à reliquis illis in proprium regnum cœpit post separari, per divisionem illam inter Ludovici Pij filios tres institutam.

stitutam. Ludovico enim cesserunt præter Austriam, Bava-
riam, Alemanniam & Franconiam, Frisia, Saxonia, Venc-
dorum potior terra & urbes ad Rhenum. Accessit post &
illa portio, quæ cis Alpes ad Lotharium ex eadem divisio-
ne devenerat, & Lotharij regnum aut Lotharingia hinc ap-
pellata est, veteremque Belgicam Galliam pene exæquat.
Omnia hæc imperio suo & Henricus Auceps complexus
est: ab eo verò per multa secula sequentes Impp. Germani-
ci acceperunt. Adjecit Otto magnus Italiam. Conrado
porrò Cæsare & Burgundiæ regnum seu Arelatense cum
Germanico & Lotharingico conjunctum est. Ast post fata-
le illud interregnum quod Friderici Secundi tempora ex-
cepit, Burgundici quidem regni procerum pleriq; pro se
quisq; liberum sibi regnum condidere, mox in Gallorum
Regum potestatem pervenerunt. Multæ quoq; Lotharin-
gici regni provinciæ à corpore Imperij Germanici, sive vi
detractæ sunt, sive ultro secessionem fecerunt. Germanici
quoq; propriè ita dicti regni portiones quædam haud le-
ves respublikas sibi proprias struxerunt. Nec verò quicquã
Germanico quidem regno post Ottonem M. accessit, præ-
ter illa quæ trans Albim in Meklenburgensi & Pomeranico
sunt tractu, Prussiam item & Livoniam: quæ ultima tamen
jam in civitatem Polonicam concesserunt. Non annume-
rabo enim Germanicis provincijs Daniam, Poloniam, Un-
gariam, etsi tributum interdum penderint, Polonia verò
etiam leges ex parte acceperit.

XXXIX Verum hæc latius & pro dignitate deducere
ejus operæ est quã de provincijs, & limitibus regnorum o-
mnium Germanicorum agitur. Facile autem ex his mani-
festum est, prout crevit vel decrevit Imperium Germani-
cum, ita & numerum civium fuisse immutatum. Namque
Ludovici Germanici ætate quidem, solius Germanici pro-
priè

priè dicti regni Ordines comitia constituerunt: pòst in idè concilium & Lotharingici status assumti sunt Burgundici regni ordines, an Germaniæ concilia frequentaverint, meritò fortassis quis dubiret. Exceperunt enim illam ætatem, quâ primùm conjuncta est Germaniæ Burgundia, ingentes motus, quibus Germaniæ robur fractum: & ipsi Ordines Burgundici sui juris esse maluerunt. Italicum quoq; regnū sua habuit semper concilia. Certè omnium horum regnorum universale aliquod concilium si habitum est unquam, non nisi rarissimè est habitum. Videtur tamen penè ejusmodi aliquod celebratum, cum eligeretur in regem Conradus Saliquus. Historiam illam describens V Vippon, *Italiæ* (inquit) *transseo, cujus principes in brevi convenire ad Regiam electionem nequiverunt.* Scribit tamen *Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis sepius repetebant.* Sed tale quid fortassis factum in electione Regum: aliàs autem factum esse vix legas.

XXXIX. Illud verò constat, Lotharingicum & Germanicum regnum ita à temporibus usq; Henrici Aucupis coaluisse, ut uno nomine iisdem concilijs, pari auctoritate sint usi utriusq; regni ordines, vereq; unam civitatem constituerint. Sed eorum, qui ex ijs terris jus habuerint verorum civium, numerum inire difficile est. Namq; & à monumentis antiquis deserimur, & quæ laudantur sublestæ sunt fidei, tum verò longa ætas magnam omnium rerum mutationem fecit.

XL. Circumferrur tamen vetus quædam Ordinum tabula, quâ illi in quaterniones divisi sunt. Inseruit illam operi suo jam olim auctor Chronici Coloniensis editi anno 1499. inseruit & Petrus de Andlo *l. 1. cap. 16. de Romano Imperio;* exhibuit ex posterioribus Munsterus *l. 3. cosmogr. c. 18.* plurimi alij laudârunt, eoq; vulgo nunc in picturas abiit.

Nec

Nec verò dubitant nonnulli auctorem ejus Ottonem III Imperatorem statuere, prudentiores tamen incertam illi adscribere originem malunt. Verum enim verò qui non videt omne illud ineptum esse otiosorum hominum commentum, in antiquis Imperij rebus nihil videt. Certè hæc divisiones contra omnem sunt historiæ fidem. Nec vero est quod cum Limnæo *l. 1. c. 7. n. 44.* mitius sentiamus, eo quod in Recessibus Imperij Erphurdia celebratis paragrafo *Darauff wir nach außweisung* / Comites Svartzburgenses nominentur titulo *der vier Graven des Reichs* aut quod Recessibus anno 1557, Carolus de Fravenberg subscripserit *des heiligen Römischen Reichs Erbritter.* Hujusmodi enim & alia multa meris commentis subnixa per incuriam quandam in Recessibus irreperunt. Ottonis certè tertij opus tabula illa nequaquam est. Referuntur enim in eâ Duces Brunsvicenses nec non Thuringiæ & Hassiæ Landgravij: quos diu post Ottonem constat cæpisse. Comites porro Sabaudia Arelatensis sunt regni proceres: illi verò regno eâ tempestate cum Germanico regno nihil fuit commercij. Lubecam quoq; certum est liberis Imperij urbibus additam demum esse à Friderico I. Barbarossa. Non dicam nunc, quod illa tabula nullos Episcopos, nullos Abbates exhibeat, si leat quoq; plurimos Comites, plurimas urbes Imperiales: quibus in concilijs Imperij jam illa ætate fuit locus.

XLI. Aliam tabulam Ordinum itidem per quaterniones distinctam, inseruit *romo unico Constitutio Imperial. p. 34.* Melchior Goldastus, & ex illo repetijt Limnæus *l. 1. c. 7. n. 48.* Quæ & ipsa videtur non nihil antiquior, minus tamen vulgaris quàm illa prior. Est autem & illa nihil aliud quàm lusus quidam hominis vani & inepti, qui ut multos quaterniones conficeret, totius orbis respublicas non erubuit suis nugis concutere. Ad eò autè putida sunt & anilia com-
D
menta,

menta, ut ijs confutandis operam impendere, fuerit operā perdere; neq; enim quicquam fere habet illa tabula sani.

XLII. Amplissimum catalogum Ordinum Imperij eorum, qui intra annos circiter quadringentos civitati Germanica adscripti jus suffragiorum ferendorum in comitis habuerunt, descriptum ex tabulis publicis (verbo recito) quos Fridericus III. Imperator in Comitibus Ratisbanensibus anno 1471. conscribi & in acta Imperialia inferri mandavit, nec non ex Recessibus & Imperij matriculis variis tam veteribus quam novis, proposuit idem Melchior Goldastus *tom. unico Constitution. Imperial. pag. 12.* & ex illo Limnæus *l. 1. c. 8.* At satis apparet, totum illud confictum esse ingenio Goldasti: illum verò huc transtulisse omnes, qui unquam recessibus nomina sua subscripserunt: quod constat sæpe à peregrinis Regibus ac Principibus esse factum, in testimonium potius & majoris fidei pondus. Id certum est Reges Angliæ, Franciæ, Sueciæ, Magnum Ducem Lithuanix, Archiepiscopum Gnezensem, Lundensem, Pragensem & plurimos alios nunquam fuisse Ordinibus Imperij accensitos, quos ille catalogus inter primos locat.

XLIII. Meliorem & fide digniorem Ordinum catalogum recitat Paurmeisterus *lib. 2. de jurisdictione Imperij Romani §. 1. n. 17. & seqq.* Quum tamen & ille ex monumentis Imperij haut sit descriptus, non est quod illi fidem tutò adhibeas. Quin ne ex ipsis quidem monumentis antiquis plerisq; haud aliud tutò colligas, quam quinam sint ad concilia vocati; aut quinam concilio interfuerint interdum; aut deniq; quinam ex decreto publico contribuere quicquam debuerint in ærarium Imperij: jure verò an injuriâ horum aliquid sit factum, non colligas.

XLIV. Scilicet exitiali peccato per plurima secula neglecta est publici Ordinum albi confectio, & certa in illud
omni-

omnium nominum insertio. Accesserunt post à tempore Henrici quarti perpetui fere civiles motus, Cæsareæ dignitatis & auctoritatis tantum non interitu conjuncti. Ipsa quoq; concilia magis magisque ceperunt esse sumtuosa. Ex eo verò plurimi paulatim civitate Germanica desertâ maluerunt domi vivere immunes & liberi, quàm turbulentis Imperij negotijs immisceri. Nec verò vel illi, qui permanserunt in obsequio, Ordines, videntur hanc mutationem ægris oculis aspexisse: sive quod & ipsi ad eandem libertatem adspirarent: sive quod domi regna sibi condentes, aut pace fruenter & otio, publicas Imperij res extra suas curas ponerent: sive quod latentibus omnibus in obscura sibi proclive viderent bona quædam publica intervertere: sive denique desperarent de conservando Imperij statu. Sanè si ab initio fuisset confectum album aliquod opum & Ordinum Imperij publicum, si Imperij acta & decreta sanè semper fuissent consignata, si Cæsaris postremo auctoritas mansisset integra, longè nunc alia esset civium Imperij ratio.

XLV. Nempe prudentiæ civilis monitum est, ne qua mutatio fiat minus divitum civium, cavenda esse sumtuosa comitia, aut vero sumptus omnes ex publico faciendos. Quin invitandos esse omnes & singulos pœnis ac præmijs propositis. Ante omnia autem album publicum constituendum inque id omnium, qui jam per ætatem habent comitiorum jus, nomina esse referenda. Id sanè optimæ quæque olim respublicæ observaverunt: imò & nunc prudentiores quæque observant. Nec verò nulla respublica hujus rei observatæ non fructum magnum, non observatæ autem non magnum sensit detrimentum.

XLVI. Sed hæc *ὡς ἐν παροίῳ*. Cæterum Sigismundo Imp. & post Friderico, Maximiliano, ac Carolo V. videntur majori cura Ordines de certo numero civium ineundo laborasse. Ejus autem rei incitamentum procul dubio præ-

buerunt Bohemica & Turcica bella, utraque vi & auctoritate publicâ gesta; quod à temporibus usq; Friderici Primi per fuit insolens. Etenim cum bellū publicis sumptibus esset alendum, necessarium omnino fuit Ordinum censum inire, quo sciretur quid à quoq; esset expectandum.

XLVII. Ac initio quidem vix potuit error evitari. Erant scil. illis primis temporibus res Imperij in densissimis tenebris, & omnia adhuc barbaries infestabat. Ad hoc, multorum intererat, ut ampliaretur quam maximè Ordinum numerus, non tam studio quodam reipublicæ iuvandæ, quàm quo in plures diviso publico tributo ipsi minus onerarentur. Sed & maluerunt multi in Imperij potius quàm in provinciæ alicujus ærarium suam pecuniam conferre: sibi eò & dignitatis multum & libertatis accrescere haud inepte colligentes. Accesserunt Cæsarium Ordinumq; varia circa hanc rem & occulta studia. Enimverò interest hodie Cæsareæ auctoritatis, ut crescat numerus Ordinum, cum primis verò ut omne quod in provincijs est robustissimum in hunc censum transeat. Vires enim ac opes regni non in paucorum sed plurimorum esse manibus, salus regia est. Quin ipsæ inter multos de libertate civica contentiones, cum parandæ tum conservandæ regie auctoritatis maxima sunt adminicula. Ex adverso Ordinum quisq; sibi mavult alium subiectum quam toti Imperio: sed tamen & vicinus vicini sententiam suspectat. Itaque & inter ipsos illos Ordines occultis hoc in negotio est odijs aut amoribus certatum haud leviter.

XLIX. Hisce de causis effectum sanè est, uti hodieq; omnis hæc res per sit impedita. Namq; primis quidem illis in concilijs à temporibus Sigismundi Cæsaris plures esse errores commissos, vel ex eo statim apparet, quod in omnibus ferè comitijs alia atque alia sit matriculæ seu albi
Ordi.

Ordinum ratio. Facile hoc cuivis est perspicere, si libeat contendere matriculas (quas appellant) conciliorum anni 1431, 1467, 1471, 1480, 1481, 1486, 87. 89. 91. 1507. Liqueat enim multos Ordinibus esse accensitos, qui alibi omituntur. Tum vero certum est (ut unum hoc adducam solummodo concilio anni 1471. inter alia subscriptum esse: Goslar / Herr Johan Buchholz mit gewalt Braunschweig / Hildesheim / Göttingen / Einbeck / Hannover vnd Hamelen / & tamen in nulla matricula nomina plerarumq; harum urbium inveniuntur; imò nunquam aliàs comitiorum Imperij iure plerasque esse usas certissimum est.

XLIX. Agnoverunt illud ipsum Ordines omnes, eoq; superioris seculi anno 21 majori diligentia plurimos errores emendarunt, & matriculam elaborarunt perfectiorem. Sed neq; hæc omni ex parte ex perfecta. Nam in comitijs anni 1548 Augustanis, exhibitus est Cæsari ab Ordinibus magnus sanè catalogus eorum, quos eximendos matriculam Imperij pro se quique crediderunt. Edidit ejus partem Limnæus *lib. 1. c. 7. n. 73.* at integer habetur *Aëtior. Brunsvicensium part. 2. sect. 2. p. 1084.* Ea propter in Comitijs anni 1570 *S. wann dann darneben* indictus est locus certus perficiendæ demum matriculæ. Repetitur idem anno 1576. *S. demnach wir ferners / Anno etiam 1594 S. demnach wir auch zum Sunffren.* Etsi enim in comitijs anni 76. *S. wann auch zu Franckfurt* das dubium erregit worden / welche Reichs matricul. constitutum sit sequendam illam anni 1521. disertè tamen additur: *was vnd so viel dann die vörige im Jahre 45. 57. 71. gewesene moderatoren (doch der interponenten appellationibus ohne nachtheil) oder durch nechstkünfftige moderatoren oder deputatos geändert würde / darnach dann dieselbige erste matricul eudlich ergänzet vnd richtig gemachet werden sol.* Ex quibus patet ne sic quidem matriculam i-

stam, omni ex patre esse perfectam. Probant autē id ipsum quā maximē acta comitiōrum Ratisbonensium anni 1603. Tum verò lites hodieque haud pravæ pendent, à Fiscali Imperij hoc nomine institutæ. Quin matriculæ insertionem non nisi præsumtionem juris Status asserre etiam asserit Gallius.

L. Porro etiam in convocatione Ordinum sæpe hodieque peccari, alios nimirum non vocando, alios verò vocando qui vocari minimē debebant, vel unica illa epistola Rudolphi II. Cæsaris doceat quæ habetur *partis sec. Actor. Brunsvicens. sect. 2. in additione pag. 21.* Acriter enim à Cæsare objurgatus est Papenheimius Vicemarscallus Imperij ob multos errores in comitijs anni 1602 commissos.

LI. Non est autem quod quis censeat, omnes illos esse Ordinum loco habendos, quibus imponitur non nihil in ærarium Imperij conferendum. Namq; de Hansiatici fœderis urbibus constat sanè, ab ijs in universum aliquid esse postulatum: ut tamen singulæ non minus suo loco quotam solvere teneantur. Et vero quid notius est, quā plerasq; hujus fœderis, non liberas fuisse urbes sed provinciales, quum tamen magno numero urbium illud constiterit. Quin hoc ipsum disertè agnoscitur *Recess. Comitiorum anni 1566. §.* Ob dem nicht allein & nihilominus tamen omnes sociæ urbes ad contribuendum publico invitantur, quod opulentæ sint & periculum id postulet. Eodem modo & Nobiles Suevicæ ac Franconicæ Rhenanæq; provinciæ publico tribuunt sua, sine suffragandi potestate.

LII. In universum ergo æstimanti, hodieque omnis hæc res est perimpedita, nec satis accuratè constituta, magno sanè reip. malo. Non tantum verò in dubio est maximo de nonnullis, sintne Ordines Imperij nec ne, sed & illud incertum videtur, quum multorum, quibus olim jus suffra-

suffragij fuit, opes ad unum aliquem pervenerint, an uni illi totidem suffragia ferre licitum sit. Sanè non ullos id sibi nemine contradicente sumsisse constat: Brunsvicensis autem familiae Principes nostros id ipsum haud observasse, jam ante monuit *Ampliss. Lampadius tractatus de Republ. Romano Germ. c. 5. n. 16.*

LIII. Illud tamen constat, civium Imperij alios esse Clericos, alios Laicos. Illius Ordinis sunt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Magistri Ordinum militarium sacrorum omnes, quotquot hodieq; Imperij Germanici finibus continentur, & territorium aliquod ab Imperio obtinent. Illi tamen Clerici qui Augustanam confessionem profitentur licet sint istius ordinis, à jure hoc conciliorum, vi Transactionis Pragensis nuperæ excluduntur. Ad alterum verò ordinem pertinent Electores, Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, & denique Urbes variæ, quæ itidem Imperij legibus viventes, territorium aliquod Imperij obtinent. Adeo ut hodie quidem illud civitatis jus territorio hujusmodi sit annexum.

LIV Horum autem Ordinum Clericorum & Laicorum, jam Francorum temporibus locum fuisse in comitijs publicis, certissimum est. De Urbibus solis non nihil nos dubios facit, quod illarum disertè nusquam fiat mentio in antiquis monumentis. Nam quod à Lhemanno *l. 4. cap. 3. Chron. Spirensis* adducitur è Rhadevicil. *2. cap. 3.* Friderico primo etiam Cæsare *civitatum* consules in Roncalias esse citatos: id ad Italicas urbes quidem pertinet, at eâ ætate longe inferiore conditione fuerunt Urbes Germanicæ, quod peroptimè docet idem vir harum rerum longè peritissimus, eodem capite. Primis tamen Saxonorum Cæsarium temporibus *in multitudine* sic dictâ & Urbium forte nonnullarum delegati fuerunt. Fuit sanè & tum multitudi
dini

94
114
2334

dini aliquis in comitijs locus. Liquet scilicet id ipsum ex electione Henrici Aucupis quam *l. 1.* magis clare ex electione Ottonis Magni quam *lib. secundo* describit VVitikindus: ex Dithmari item *l. 4. & 5.* ubi describitur electio Henrici Secundi: ex V Vipnone denique, quo loco narrat Conradi Saliqui electionem. Sed *multitudinis* illius maximam partem videntur constituisse equestris dignitatis homines, quos dehinc milites dixerunt. Sequentibus tamen seculis omne hoc videtur abolitum: sive quod multitudinis nulla propè ratio haberetur, sive quod sumptuosiora essent comitia, quàm ut ferendis sumtibus sufficeretur, sive denique quod nullum ex comitijs fructum speraret. Decimo quarto tamen à nato servatore seculo, paulatim Vrbes iterum ad comitia accitæ, quod illa tempestate & numerus earum sat magnus esse, & præcipuæ opes & vires Imperij ijs continerentur, & novis sumptibus ad onera publica esset opus quam maximè. Nunc certè pleno jure conciliorum fruuntur Vrbes illæ liberae. Nam quod Peucerus scribit *lib. 5. Chronicorum* eas *nec suffragia ferre nec sententiam in comitiis dicere* id verò optimè refellit Lehmannus *l. 4. c. 3.* fusissimè verò confutarunt, in consilijs suis hujus materiæ editis Ludovicus Bremus & Hieronymus Zumbamb ex quibus multa transcripsit Limnæus *lib. 7. c. 1.* quorum scrinia compilare non est meum. Et vero de hoc argumento jam satis forte est actum pro instituto nostro.

F I N I S.



M
VDT

qui respectu
sunt civitatis
sunt cives
dum per
nerandam
muneribus
ximi. Hi
simplicitate
& potentia
& ideo ho
um numero

IV. C
na à no
mus, in
gnem hu
Nunc ut
men com

V. C
mnibus f
cuius est
vel iudic
re cives a
iam si eni
sta non c
ti sunt ci
re fungun
tionem e
proprie v
publicis r
tum cape
dignitate

VI. H

omen: quales
orarij tantum
ri, & qui non
ti, qui ob ve
vacationem à
sum sunt pro
nt, non tamen
illi imperfecte
rò jam effoeti
verorum civi-

onges sint alie
sus esse cense
er tantum infi
otasse sufficiat.
erè civium no
ostulat.

a (quem in o
ni in illa civitate
vel deliberativo
mnibus qui ve
e confido. Et
cives quibus i
ligarchia mul
tate aut munc
e civis appella
mus. Maxime
ò dictis rebus
lum magistra
e verò qui hãc
sse potest, qui
nam

